

Die Consuetudines Schyrenses.

Mitgeteilt von P. Stephan Kainz, O. S. B. in Scheyern.

(Schluß zu Heft II, 1905, S. 288—294.)

De suffragiis communibus in vesperis et laudibus.

Notandum, quod post octavam penthecostes usque ad adventum domini et ab octava Epiphaniae usque ad dominicam de passione domini, si non occurrerit festum duplex vel octava alicuius festi, habemus quotidie in laudibus et vesperis suffragia communia, de quibus supra. Ab octava etiam paschae usque ad ascensionem domini, si non sit festum duplex, habetur commemoratio in dictis horis de sancta cruce. Item suffragia communia non habemus in vesperis et laudibus ab adventu domini usque post octavam Epiphaniae et a dominica de passione usque ad octavam penthecostes neque in festis duplicibus neque infra octavas sollempnes. Habemus autem in dictis horis temporibus supra notatis suffragia sex, primum de beata virgine Maria, secundum de sancta cruce, tertium de sancto Benedicto, quartum de sancta Maria Magdalena, quintum de omnibus sanctis, sextum pro pace. Et si dicuntur indirectum officio reliquo cantato, tunc dicuntur post Benedicamus et concluditur ultimum suffragium cum Per Chr. D. n. Benedicamus domino cum alleluia habemus tantum infra octavam paschae usque ad sabbatum exclusive et ad vespas et ad laudes, quod et de Ite missa est infra eandem octavam usque ad sabbatum inclusive observamus. Septem psalmos poenitentiales, similiter officium quindecim graduum secundum rubricam suam nunquam habemus praeterquam in quadragesima. Ab octava penthecostes usque ad adventum domini et ab octava Epiphaniae usque ad septuagesimam tantum in sabbato, si non occurrit festum, agimus in choro de beata virgine, sexta feria a capitulo inchoando, si non impediat festum. Quod si eadem feria venerit,¹⁾ nichil habetur de beata virgine, sed incipitur a matutino et agitur matutinum cum tribus lectionibus et ceterae horae usque ad nonam inclusive.

Incipit ordo de processu et ritu celebrandi missas et primo de accessu ad eandem

Sacerdos celebraturus missam secundum consuetudinem ecclesiae romanae, priusquam ad altare accedit, praemisso Pater noster dicit verum Deum in auditorium meum intende. Gloria patri. Sicut erat. Deinde flexis genibus ymnum. Veni creator. Deinde sub antiphona Ne reminiscaris dicit hos psalmos: Quam dilecta, Benedixisti Domine, Inclina Domine, Credidi et De pro-

¹⁾ Wohl zu ergänzen: festum.

fundis. Antiphona: Ne reminiscaris. Deinde: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos. *℣*. Ego dixi, domine, miserere mei. *℞*. Sana animam meam. *℣*. Convertere, domine, usquequo. *℞*. Et deprecabilis esto super servum tuum. *℣*. Fiat misericordia tua, domine, super nos. *℞*. Quemadmodum speravimus in te. *℣*. Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus. Aures tuae pietatis, mitissime Deus, inclina precibus meis et gratia sancti Spiritus illumina cor meum, ut tuis misteriis digne ministrare, teque aeterna caritate diligere merear. Per. Alia: Deus, cui omne cor patet et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum, purifica per infusionem sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere et digne laudare mereamur. Per. Alia: Ure igne sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, domine, ut tibi casto corpore serviamus et mundo corde placeamus. Per. Alia: Mentem nostram, quaesumus domine, paraclitus, qui a te procedit, illuminet et inducat in omnem, sicut tuus promisit filius, veritatem. Per. Alia: Assit nobis, quaesumus, domine virtus Spiritus sancti, quae et corda nostra clementer expurget et ab omnibus tueatur adversis. Per. Alia: Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de eius semper consolatione gaudere. Per. Alia: Conscientias nostras, quaesumus domine, visitando purifica, ut veniens Jesus Christus, filius tuus, Dominus noster, cum omnibus sanctis paratam sibi in nobis [in]veniat mansionem. Qui tecum. Dominus vobiscum. Benedicamus Domino. His competis sacerdos indutus stans ante gradus altaris iunctis manibus et elevatis mediocriter dicit *℣*. Introibo ad altare Dei. *℞*. Ad Deum qui laetificat etc. Deinde dicit Ps. Judica me, Deus, et discerne causam meam etc. cum Gloria Patri. Deinde repetitur *℣*. Introibo ad altare. *℞*. Ad Deum, qui laetificat. Deinde signans se cruce dicit *℣*. Adiutorium nostrum in nomine domini. *℞*. Qui fecit coelum et terram. Deinde profunde inclinans dicit confessionem absolute Confiteor omnipotenti Deo, beatissimae Mariae virgini, beato Benedicto, omnibus sanctis et vobis me graviter peccasse per superbiam in lege Dei mei, cogitatione, delectatione, consensu, visu, verbo, opere et omissione mea culpa, mea maxima culpa. Ideo deprecor beatissimam virginem Mariam, beatum Benedictum et omnes sanctos Dei et vos orare pro me. Et stat inclinatus, quousque minister dicit orationem] f. 40 v. [Misereatur tui omnipotens Deus et dimissis omnibus peccatis tuis et perducat te in vitam aeternam. *℞*. Amen. Et tunc erigens se sacerdos usque post confessionem ministri et orationem Misereatur vestri quam ipse dicit. Iterum se inclinans dicit Indulgentiam et remissionem omnium peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors dominus. *℞*. Amen. Et erigens se dicit *℣* Deus tu

conversus vivificabis nos. *B.* Et plebs tua laetabitur in te. *V.* Ostende nobis, domine, misericordiam tuam. Et salutare. Domine, exaudi orationem. Dominus vobiscum. Postea inclinando se medio-criter acendendo altare dicit aliquantulum altius. Oremus. Auffer a nobis, quaesumus domine, cunctas iniquitates nostras, ut ad sancta sanctorum puris mentibus mereamur introire. *Per Chr. D. n.* Deinde inclinans coram medio altaris iunctis manibus super altari dicit sub silentio: Oramus te domine, ut per merita sanctorum, quorum reliquiae hic sunt, et omnium sanctorum tuorum indulgere mihi digneris omnia peccata mea. *Per Chr. D. n.* Si non fuerint ibi reliquiae dicat: Ut per merita omnium sanctorum tuorum, et idem fit in oratione Suscipe sancta trinitas post offer-torium; completa oratione signans altare osculetur ipsum.

Quotiens et quando sacerdos in missa manus iungere debeat.

Et nota, quod sunt iungendae manus, quotienscumque inclinatur se sacerdos ante altare et quando concludit collectam aliquam dicendo *Per dominum nostrum* vel aliquid simile; item sacerdos iungit manus ad omnem cantum, scilicet ad Introitum. Kyrie eleison, et inter Graduale, Alleluia, Sequentia, ad Patrem, ad Offertorium, ad Sanctus, Agnus dei, et ad postcommunionem; item, postquam incepit Gloria in excelsis, et Credo in unum deum, et quando transit ad sedem et post redeundo; et ad evangelium, similiter dyaconus, si legerit; item infra orationes secretas, in fine praefationis, et circa principium canonis ab his verbis *Te igitur usque, Uti accepta habeas*; item ante consecrationem hostiae cum dicit *Ut nobis*; item ante *Pater noster* cum dicit *Et praestas nobis*; et quotienscumque vadit a libro ad medium altaris et quando revertitur ad librum dicto *Dominus v. vobiscum*; item quando transit ad lotionem manuum, item quando concludit ultimam collectam dicendo *Per dominum nostrum* vel aliud simile, item quando vadit indutus a sacristia ad altare et e converso redeundo.

De profundis inclinationibus in missa servandis.

Notandum etiam, quod sacerdos primo inclinatur se profunde ante gradum altaris, quando dicit suum Confiteor. Item, quando dicit *Indulgentiam et remissionem*; item, quando dicit *Oramus te domine, ut per merita*; item ad illa verba: *In spiritu humilitatis et cetera*; et cum dicit *Suscipe sancta trinitas*; item, quando dicit *Sanctus, sanctus usque ad Benedictus*, similiter ad verba *Te igitur usque Uti accepta*. Item post consecrationem adorando sacramentum ante et post elevationem calicis; item, quotienscumque vult tangere sacramentum. Item post elevationem ad

Supplices te rogamus; item cum dicit Agnus dei ad orationes illas Domine Jesu Christe, qui dixisti apostolis tuis, Domine Jesu Christe, fili dei vivi, et Perceptio corporis; item in perceptione et post perceptionem ipsius sacramenti; item post missam ad Placeat tibi; et fiunt inclinationes illae omnes profunde] f. 41 r. [coram altari. Item inclinatur profunde accedendo primo ad altare et in fine recedendo sine genuflexione.

De inclinationibus mediocribus.

Sunt et aliae inclinationes in missa, quae mediocriter fiunt videlicet cum devota inclinatione capitis et scapularum, item quando nominatur sanctum nomen Jesus; similiter ad nomen Maria, quotiens nominatur; item ad versum Gloria patri in introitu missae; item cum dicit in ymno angelorum Adoramus te, item ad Suscipe deprecationem nostram, item ad Gloria tibi domine; item in Symbulo ad Qui cum patre et filio simul adoratur; item quando oblato calice vadit ad lotionem manuum; item vertens se ad populum cum dicit Orate fratres parum se inclinatur. In praefatione post illa verba Gratias agamus, item infra actionem Quam oblationem ad illa verba Ut nobis.

De osculis, quae fiunt in missa.

Nota, quod primo osculatur altare post orationem Oramus te Domine; item ante primam collectam cum dicitur Dominus vobiscum; item quando dicitur Credo post illum versum, Et homo factus est; item ad Dominus vobiscum ante offertorium; item priusquam dicit Orate fratres; item post Te igitur statim post illa verba Uti accepta habeas; item infra orationem Supplices te rogamus post illa verba, Ex hac altaris participatione; item finita oratione Domine Jesu Christe, qui dixisti; item post communionem, quando dicit Dominus vobiscum, et ad Dominus vobiscum ultimum ante benedictionem; item completa oratione Placeat tibi sancta; item post illa verba evangelii In principio, Et verbum caro factum est, ubi etiam fit genuflexio plena. Et nota, quod omnia illa oscula fiunt demissis manibus super altari in medio altaris; nunquam autem osculatur liber nisi post finem evangelii. Notandum etiam, quod quaecumque osculamur altare, praemittimus signum crucis praeterquam Dominus vobiscum.

De elevatione et extensione manuum et brachiorum in missa.

Item nota circa elevationem et extensionem manuum, quod semper sacerdos elevat manus mediocriter, ita quod elevatio manuum non perpendatur ultra humeros nec nimis deprimatur, sitque distensio in latum semper moderata et aequalis in missa, et quando stat versus altare vel se verterit ad populum praeterquam

in oratione, Unde et memores domine, ibi specialiter fit commemoratio dominicae passionis, ad quam significandam fit extensior et prolixior brachiorum distensio usque ad proximas significationes sequentes. In omni vero iunctione manuum simul elevatio praecedat aequalis et moderata.

De inceptioe Introitus.

Postquam sacerdos osculatus fuerit altare post orationem Oramus te domine facta inclinatione mediocri, nisi tunc facienda sit thurificatio, ut in officio sollempni abbatis vel prioris, vadit ad dextrum cornu altaris; et ibidem stans sine aliquo versu praecedente absolute incipit legere introitum, quem et reliquum cantum in missa cantata secum legunt ministri. Dicto Kyrie eleison, si est] t. 41 v. [dicendum Gloria in excelsis, vadit ad medium altaris. Quo finito vel si non est dicendum, osculetur medium altaris et vertens se ad populum dicit Dominus vobiscum. Quo dicto vertit se ad librum quae est in dextro cornu altaris et ibidem dicit Oremus et orationem terminat. Et si plures orationes sunt dicendae, ultima terminatur ibidem.

De flectamus genua.

Dum etiam dicendum est Flectamus genua, sacerdos stans ad dextrum cornu non conversus ad populum absolute sine Dominus vobiscum incipit Oremus. Et facta pausa modica, postquam dixerit flectamus genua, dicit Levate. Deinde absolute prosequitur collectas. Si dyaconus ministrat, ipse dicit Flectamus genua et Levate. Finita collecta legitur lectio una aut plures singulis lectionibus singulis praemissis collectis. In quibus omnibus servatur modus praeterquam in ultima oratione, quae immediate praecedit epistolam, in qua semper vertens se ad populum, ut praedictum est, dicit Dominus vobiscum.

De lectione epistolae et praeparatione calicis.

Deinde legitur epistola ante gradum contra medium altaris per subdiaconum vel acolitum, ut patebit in missa conventuali. In missis vero privatis semper ab ipso sacerdote super dextro cornu altaris. In missa conventuali dum a subdiacono legitur epistola, dyaconus si ministrat, vel ipse sacerdos extendit corporale, quod calice sub ponitur super altare, si prius factum non fuerit, ita quod latitudo corporalis in longitudinem extenditur altaris, non tamen explicatur propter pulveres usque ad oblationem panis et calicis. Deinde si oportunum videbitur, praesertim quando non habetur Credo lecto per sacerdotem cantu, qui sequitur epistolam et evangelium praeparato calice vadit ad sedem. In missis vero privatis praeparatio calicis fit antequam dicitur Confiteor, nisi esset frigus intensum; tunc, ne calix congeletur,

differtur cum ipsius praeparatione usque post epistolam vel post offertorium, secundum quod sacerdoti congruum fore videbitur. Et quando sacerdos mittit aquam in calicem, in parvissima recipiat quantitate, ita ut a vino penitus absumatur, quae quidem quantumcumque modica sit una cum vino permixta et in vinum transmutata sacramentum perficitur. Porro post vini et aquae commixtionem dicit sequentem orationem Deus, qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti et mirabilius reformasti, da nobis per huius aquae et vini misterium dignitatis eius esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps Jesus Christus, filius tuus, Dominus noster. Qui tecum vivit. Sacerdos vero quando parat calicem, nisi vinum fuerit rubeum, prius faciat ministrum probare vinum et aquam, denique per seipsum infundat vinum sicuti et aquam; hoc enim securius est, licet minister infudere possit vinum, solus tamen sacerdos admiscet aquam.

De lectione Evangelii.

Sacerdos postquam legit epistolam cum cantu sequenti, antequam legat evangelium, stans circa medium altaris iunctis manibus et in altum aliquantulum elevatis dicit: Jube domne benedicere. Sit dominus in corde † meo et] f. 42 r. [in labiis meis †, ut digne competenter annuntiem evangelium sanctum suum, et dicendo Initium sancti † vel Sequentia sancti † evangelii signet se dumtaxat simplici signo crucis et legat evangelium in sinistro cornu altaris faciem vertendo ad aquilonem. Abbas tamen in missa sollempni legit evangelium in loco, ubi stat, tenente sibi librum cappellano vel accolito. Quando vero in missa conventuali sacerdos dyacono ad lectionem evangelii dat benedictionem, dyaconus ad sinistrum cornu altaris iunctis manibus et flectens dicit: Jube domne benedicere. Sacerdos respondet: Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut digne et competenter annunties evangelium sanctum suum. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti † Pax tecum. Respondet dyaconus: Et cum spiritu tuo. Et tunc mox inclinatus coram altari dicit: Munda cor meum et labia mea, omnipotens Deus, et sicut labia Isaiæ prophetae culculo mundasti ignito, ita me tua gratuita miseratione dignare mundare, ut sanctum evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Chr. D. n. Alii autem simpliciter dicunt, sicut sacerdos dicere solet: Sit dominus in corde meo et in labiis meis etc. Et signato altari in medio osculatur illud. Postea incipit in pulpito parato ad aquilonem legere evangelium. In missa tamen sollempni Episcopi vel Abbatis dyaconus prius osculatur manum eiusdem, ut infra patebit. Lecto evangelio subdyaconus si praesens fuerit vel dyaconus offert sacerdoti librum ad osculandum. Similiter sacerdos finito evangelio per se lecto osculatur librum dicens: Per istos sermones sancti

evangelii † indulgere dignetur nobis Deus omnia peccata nostra. Deinde conversus ad medium altaris dicit: Credo in unum deum, quod quando est habendum, inferius patebit. Quod si Credo non habetur, sacerdos osculato altari vertens se ad populum dicit Dominus vobiscum, reversusque a parte dextra dicit in medio altaris Oremus ac deinde legit offertorium.

De oblatione panis et calicis.

Dicto offertorio explicatur corporale et signata hostia super patena signo crucis his verbis In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, deposito prius custode accipit reverenter patenam cum hostia duabus manibus mediocriter elevatis dicit: Suscipe domine sancte Pater omnipotens aeterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo vivo et vero pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentis meis et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus christianis vivis atque defunctis, ut mihi et illis proficiat ad salutem aeternam et ut nobis unigeniti filii tui corpus fiat. Amen. Postea praeparatum iam calicem suscipit per se vel a ministro et eo signato ut dictum est de hostia elevans eum mediocriter dicit: Offerimus tibi domine calicem salutaris tuam deprecantes clementiam, ut in conspectu divinae maiestatis tuae pro nostra et pro totius mundi salute cum odore suavitatis placens ascendat et ut nobis unigeniti filii tui sanguis fiat. Amen. Collocatur] f. 42 v. [autem hostia ad sinistram inter librum et calicem, calix vero ad dextram: deinde cooperto calice cum custode dicit inclinatus profunde hanc orationem: In spiritu humilitatis et animo contrito suscipiamur, domine, a te ut sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi domine Deus meus. Postea elevatis manibus dicit hanc orationem super hostiam et calicem signo crucis: Veni sanctificator omnipotens aeterne Deus et bene † dic hoc sacrificium tuo sancto nomini praeparatum, ita quod primo dicit et trahit manum super hostiam et secundo super utrumque et sic semper fit, quando signatur simul utrumque uno signo.

De Incenso.

Deinde sit est incensandum sacrificium oblato thuribulo cum prunis et aceria cum thure sacerdos inmittens thus ad thuribulum benedicens incensum circa medium altaris cum hac oratione dicit: Per intercessionem beati Michaelis archangeli stantis ad dextram altaris incensi et omnium electorum suorum incensum istud dignetur Dominus bene † dicere et in odorem suavitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum. Postea incensando super hostiam et calicem dicit: Incensum istud a te bene † dictum

ascendat † ad te domine, et descendat † super nos misericordia tua. In nomine † Patris et Fi † lii et Spiritus † sancti. Postea transiens ad sinistrum cornu altaris et redeundo ad dextrum dicit interim hos versus: Dirigatur domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Pone, domine, custodiam ori meo et ostium circumstantiae labiis meis, ut non declines cor meum in verba malitiae ad excusandas excusationes in peccatis. Postea redeundo ad dextrum cornu ad medium ducto thuribulo ad sacrificium reddit dyacono thuribulum; qui dum geniculando eum incensat, dicit sacerdos: Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris et flammam aeternae caritatis. Amen. Postea parum inclinatus super altare vadit ad dexteram ad abluendum manus. Quod si non fiat incensatio, statim post orationem Veni sanctificator vadit ad lotionem. Interim vero, dum manus abluit dicit hos versus: Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine. Ut audiam vocem laudis et enarrem universa mirabilia tua. Domine, dilexi decorem domus tuae et locum habitationis gloriae tuae Non sedi cum consilio vanitatis et cum iniqua gerentibus non introibo. Odivi ecclesiam malignantium et cum impiis non sedebo. Deinde rediens ad medium altaris inclinatus dicit: Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam Passionis, Resurrectionis et Ascensionis Jesu Christi, domini nostri et in honorem beatae Mariae semper virginis et beati Johannis Baptistae et sanctorum apostolorum Petri et Pauli et istorum, quorum reliquiae hic sunt, et omnium sanctorum, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem et illi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam facimus in terris. Per eundem. † Qua oratione finita oscula-] f. 43 r. [to altari vertens se ad populum dicit alta voce, ut a circumstantibus audiri possit: Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum omnipotentem. Circumstantes vero respondeant *℟* Memor sit dominus sacrificii tui et holocaustum tuum pingue fiat vel autem orationem istam: Suscipiat dominus sacrificium de manibus tuis ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram totiusque ecclesiae suae sanctae. Sacerdos autem postquam dixerit haec verba Orate fratres regirans dicit absolute sine Oremus iunctis manibus secretam unam vel pluribus (sic!) correspondenter ad collectas. Et si sunt plures collectae, secreta prima habet suam specialem conclusionem.

De praefatione et sancto canone.

His expletis elevatis et extensis manibus secundum formam superius positam sacerdos ultimam secretam concludens dicit alta voce: Per omnia saecula saeculorum. *℞*. Amen. Dominus vobis-

cum. Et cum spiritu. Sursum corda. Habemus ad dominum* Gratias agamus domino Deo nostro. Quo verso dicto inclinat se reverenter. Deinde finita praefatione cum ultimis eiusdem verbis coniungit manus et profunde inclinatus super altare cum ministris in missa publica aut solus in missa privata dicit: Sanctus, sanctus, sanctus. Cum vero dicit Benedictus erigens se et signat se cruce †. Deinde bene praemeditatus et recollectus animo cum magna devotione inclinatus coram altari profunde et reverenter incipiens Canonem dicit Te igitur inclusive ad haec verba: Uti † accepta habeas; post vel infra quae signato altari et osculato erigens se sub his verbis: Haec † dona, haec † munera, haec † sancta sacrificia illibata, facit communiter super hostiam et calicem tres cruces. Deinde elevatis et extensis manibus, sicut dictum est supra, prosequitur canonem usque ad memoriam vivorum quam sicut et memoriam defunctorum facit coniunctis manibus ante pectus et prope faciem elevatis. Deinde iterum extensis manibus his verbis Et omnium circumstantium prosequitur canonem. Et infra orationem: Hanc igitur oblationem, quam dicit inclinatus sub his verbis: Ab aeterna dampnatione † nos eripi signat se cruce. Deinde facit tres cruces communiter super hostiam et calicem dicens: Bene † dictam, ascrip † tam, ra † tam. Postea sub his verbis: Ut nobis inunctis inclinat se coram altari. Deinde sub his verbis: Cor † pus et san † guis facit duas cruces, primam super hostiam, secundam super calicem, et tandem infra sequentia verba, scilicet: Fiat dilectissimi filii tui domini nostri Jesu Christi, elevans in altum manus et deorsum mittens, cum pervenerit ad Qui pridie, ductis et tractis plane digitis super corporali sub his verbis: Accepit panem recipit in manus hostiam et signans eam cum dicit: Bene † dixit, dicto Hoc est enim corpus meum adorato corpore domini elevat id reverenter, ita quod a circumstantibus possit videri. Postea deposito sacramento in loco suo et eo de-] fol. 43 v. [votius adorato discooperiens calicem dicendo: Accipiens hunc praeclarum calicem, recipit calicem ad manus, non tamen elevat a loco, sed dicens: Item tibi gratias agens, modicum elevat a loco et iterum dimittit. Cum vero dicit: Bene † dixit, signat calicem et servans eum in manibus et in loco suo stantem prosequitur reliqua exclusive usque Haec quotienscumque. Deinde manente calice in loco suo et adorato eo reverenter tenens dextra manu calicem circa eius medium et sinistra cum inferiori extremitate elevat ipsum ad tantum, ut a retrostantibus videri possit. Quo deposito et reverenter iterum adorato mundatis super eo digitis propter reliquias, si quae eis de sacramento hostiae adhaesissent, ipsum cooperiens dicit intentionem videlicet suam ad utrumque corpus et sanguinem dirigendo: Haec quotienscumque feceritis, in mei

memoriam facietis. Deinde dicens: Unde et memores extendit brachia in modum crucis usque ad illa verba: Offerimus praeclarae maiestati tuae; postque facit quinque cruces, tres communiter super utrumque his verbis: Hostiam † puram, hostiam † sanctam, hostiam † immaculatam; et quartam super hostiam, cum dicit: Panem † sanctum vitae aeternae; et quintam super calicem, cum dicit: Et calicem † salutis perpetuae. Nota, quod sacerdos ab eo loco postquam consecravit, elevavit et super altare posuit hostiam sacrosancam, duos digitos indicem scilicet et pollicem utriusque manus coniunctos tenere debet usque dum communicat, et ultimam digitorum abluionem recepit; verumtamen disiunguntur digiti praetacti, quotiens dominicum tangitur corpus. Abhinc autem usque ad proximum Per omnia fiunt signationes cerimoniae ceterae, sicut in missali habentur et inclinationes, ut supra dictum est; hoc addito, quod cum in fine huius orationis Nobis quoque peccatoribus dicitur per Chr. D. n. absque responsione amen dicit sacerdos Per quem haec omnia, quoniam istud dependet a fine praecedentis. Dicto autem Et praestas nobis discooperit calicem et accepta cum inclinatione hostia sacra signat ter cum ipsa super calicem dicens haec verba: Per ipsum † et cum ipso † et in ipso †. Elevatis autem digitis cum hostia signat bis inter se et calicem a labiis calicis trahens crucem his verbis: Est tibi † Deo patri omnipotenti in unitate spiritus sancti † omnis honor et gloria. Quo dicto tenet hostiam super calicem et parum elevato calice cum ambabus manibus dicit: Per omnia saecula saeculorum. Quo dicto reponit hostiam et calicem in locis suis, et custodem calici superponit. Deinde dicit: Oremus, praeceptis salutaribus. Cum ergo pervenit usque ad Pater noster, elevat manus et extendit, sicut prius, usque Da propitius pacem; ibi accipiens patenam manu dextra osculatur eandem et signans se simpliciter cum ipsa cum his verbis: Ab omni † perturbatione securi ac submittens eam hostiae, et discooperto calice praemissa reverentia facit fractionem hostiae super calice frangens eam per medium his verbis: Per eundem dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, et ponens illam medietatem hostiae, quae in dextra manu est super patenam, illam] fol. 44 r. [vero, quae in sinistra manu remanet, post frangens per medium cum illis verbis: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti deus; particulam quae est in manu sinistra, apponit parti quae est in patena. Alteram vero, quae in dextra remanet, sacerdos erectam tenet super calicem et parum elevato calice dicit: Per omnia saecula saeculorum, et iterum deposito calice tertio signat cum particula, quam tenet in dextra super sanguinem dicens: Pax domini † sit semper † vobiscum †. Quo dicto inmittit simpliciter particulam ipsam in sanguinem dicens: Et fiat haec commixtio et consecratio

corporis et sanguinis domini nostri Jesu Christi accipientibus nobis in vitam aeternam.

In die tamen Parasceves, quia calix non consecratur, praedicta oratio non dicitur. Deinde cooperto calice et patena cum sacramento posita a sinistro ad locum hostiae dicit ter Agnus dei profunde inclinatus et manibus coniunctis ac demissis super altari. Postea profunde inclinatus coram altari ac manibus super altari positus, si non est missa de Requiem dicit orationem: Domine Jesu Christe, qui dixisti apostolis tuis: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis; ne respicias peccata mea, sed fidem ecclesiae tuae eamque secundum tuam voluntatem pacificare et coadunare digneris. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Qua finita erigens se osculatur altare praemisso desuper signo et deinde dat pacem ministro, scilicet tabulam oblatam per ministrum osculando dicens: Pax tecum. Sacerdos signans altare ad partem, ubi iacet patena osculatur ipsum. Iterum postea inclinatus ante altare dicit ad utrumque: Domine Jesu Christe, fili Dei vivi qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu sancto per mortem tuam mundum vivificasti, libera me per hoc sacrosanctum corpus et sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis et universis malis et fac me tuis semper inhaerere mandatis et a te nunquam separari permittas. Qui cum eodem Deo patre in unitate eiusdem spiritus sancti Deus Per omnia saecula saeculorum. Amen. Postea ad corpus inclinatus dicat: Perceptio corporis tui domine Jesu Christe, quam ego indignus sumere praesumo, non mihi proveniat in iudicium et condemnationem, sed pro tua sancta pietate et misericordia prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis et ad medelam percipiendam. Qui vivis et regnas. Quibus dictis erigens se praemissa inclinatione profunda reverenter accipiens patenam recipiendo sacramentum de patena dicit; Panem coelestem accipiam. Deinde dicto ter: Domine non sum dignus, facta inclinatione dicit: Corpus domini nostri Jesu Christi † custodiat animam meam in vitam aeternam. Et tandem cum debita reverentia et devotione sumit sacramentum. Deinde discooperiens calicem, si quae reliquiae remanserint in digitis aut patena cum digito indice vel pollice reponat ad calicem; depositaque patena ad sinistram cum reverentia facta inclinatione debita accipit calicem dicens:] fol. 44 v. [Quid retribuam domino pro omnibus, quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam. Laudans invocabo dominum. Quibus dictis praemissa inclinatione signans se cum calice dicit: Sanguis domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Et extunc percipit sanguinem; et facta vero perceptione vadit ad cornu altaris dextrum et purificationem calicis recipiens dicit: Quod ore sumpsimus, domine, pura mente capiamus et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum. Amen. Postea

ad ablutionem manuum cum vino super calicem dicit: Corpus tuum domine, quod sumpsi et sanguis, quem potavi, adhaereat visceribus meis et praesta, ut in me non remaneat scelerum macula, quem tam pura et sancta refecerunt sacramenta. Qui vivis et regnas. Et sumpto eo, quod in calice remansit, inclinat calicem super patenam et plicato corporali lectaque communionem in cornu dextro iterum sumit, si quid in calice remansit. Quo facto osculans altare vertens se ad populum dicit: Dominus vobiscum. Et lectis complenda una aut pluribus post ultimam conclusionem, scilicet: Per Dominum nostrum ultimae complendae dicit ante medium altaris et consequenter ad populum se vertens complet missam. Qua completa benedicat populum, ut moris est; et iterum reversus ad altare inclinatus demissis super altari manibus dicit: Placeat tibi sancta Trinitas hoc obsequium servitutis meae et praesta, ut sacrificium, quod oculis tuis manibus meis indignus obtuli sit tibi acceptabile, michique et omnibus, pro quibus obtuli sit te miserante propitiabile in vitam aeternam. Qua oratione dicta signans altare osculatur ipsum et erigens se dicit versus aquilonem: Dominus vobiscum. Initium sancti evangelii secundum Johannem; et communiter evangelium In principio erat verbum usque ad finem et pervento illam clausulam: Et verbum caro factum est flexis genibus praemisso signo crucis osculatur altare. Deinde signans completo evangelio dicit: Trium puerorum et consequenter ympnum Benedicite omnia opera domini domino totum cum Ps. Laudate dominum in sanctis eius. Interim reposito calice in sacculo cum corporali facta inclinatione revertitur ad sacristiam exeunda¹⁾ se complet dicta. Deinde dicit antiphonam: Trium puerorum ympnum cantemus domino, quem cantabant sancti in camino ignis ardentis laudantes et benedicentes Dominum. Deinde Kyrie eleison. Christe. Kyrie. Pater noster. Et ne nos. *V.* Confiteantur tibi domine omnia opera tua. *B.* Et sancti tui benedicant. Exultabunt sancti in gloria. Laetabuntur in cubilibus suis. *V.* Non nobis, domine, non nobis. Sed nomini tuo da gloriam. Domine exaudi orationem. Dominus vobiscum. Oremus. Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per. Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni et adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. Praedicta omnia immediate, scilicet evangelium In principio cum sequentibus etiam in fine missae defunctorum habentur.] fol. 45 r.

¹⁾ Soll natürlich heißen: exuendo.

De Gloria in excelsis.

Gloria in excelsis habetur in missa omnibus diebus dominicis praeterquam in adventu domini et a septuagesima usque ad pascha. Item a die natalis domini usque ad octavam Epiphaniae cottidie praeterquam die Innocentium, quando idem festum non venit in diem dominicum; item in omnibus festivitibus XII lectionum, item infra octavas sollempnes, etiam si de aliquo alio sancto agatur officium; item in Coena domini, in vigilia Paschae et a die resurrectionis usque ad octavam penthecostes cottidie exceptis diebus rogationum. Habetur etiam in missa de sancta trinitate, de sancto spiritu, de sancta cruce, de beata virgine, et quandocumque iuxta praesidentis ordinationem duo ad missam in dalmaticis ministrant.

De numero collectarum in missa conventuali habendae.

Collectas in missa conventuali ultra tres regulariter non habemus. In festis duplicibus, nisi specialis commemoratio occurrat ultra unam non habentur. In missis autem privatis plus quam septem non debent haberi. Quotquot collectae habentur, semper principalis, illa scilicet, cui praemittitur primo Dominus vobiscum, cum sua secreta et complenda specialem recipit conclusionem.

De collectis in missa publica imponendis.

A dominica prima adventus domini usque ad vigiliam natiuitatis domini post orationem diei Oratio de sancta Maria: Deus qui de beatae Mariae virginis; item infra octavam epiphaniae post orationem diei dicuntur istae orationes: Deus qui salutis aeternae et Ecclesiae tuae; item ab octava Epiphaniae usque ad purificationem post orationem diei dicuntur istae orationes: Deus qui salutis aeternae, Ecclesiae tuae, vel Deus omnium fidelium. Item a feria quarta cinerum usque ad dominicam passionis Christi dicuntur post orationem diei istae orationes: A cunctis nos quaesumus domine et Omnipotens sempiternae Deus qui vivorum; item a dominica de passione usque ad feriam quintam Coenae domini post orationem diei dicuntur orationes Ecclesiae tuae vel Deus omnium fidelium; item a feria quarta infra octavam paschae usque ad dominicam post orationem de die dicitur oratio Ecclesiae tuae vel Deus omnium fidelium. Item ab octava paschae usque ad ascensionem domini post orationem diei dicuntur orationes: Concede nos famulos tuos, quaesumus Domine Deus noster perpetua mentis et Deus omnium fidelium. Item oratio A cunctis nos quaesumus domine dicitur in missa conventuali cottidie tam feriatis diebus quam dominicis et festiuis a festo purificationis usque ad dominicam de passione domini, et ab octava penthecostes usque ad adventum domini exceptis festis duplicibus, in

quibus non dicitur nec per aliquas octavas nec in vigiliis, quae ieiunantur nec in diebus in quibus commemorationes propriae sufficiunt nec in missis apostolorum Petri et Pauli nec non patronarum: Sanctae Crucis, Mariae Magdalenae etc. nec in missa de Sancto Benedicto, nec in missis de beata virgine. Quotiens etiam numerus collectarum secundum rubricam expresse non sufficit, iuxta praesidentis ordinationem orationes imponantur, ut trinarius impleatur. Nonnunquam etiam loco collectae Ecclesiae tuae etc. causa exigente alia collecta habetur, verbi gratia pro Pace, pro concordia, pro congregatione, pro salute vivorum et aliis prout in tabula specialiter deputata registratum est.] f. 45 v. [

De Sequentiis seu prosis pro tempore in missis cantandis.

Sequentias vel prosas in missa conventuali infra scriptas et non plures consuevimus cantare: Unam in die paschae et per octavas usque ad sabbatum inclusive, videlicet Victimae paschali; secundam per octavas penthecostes, videlicet Sancti Spiritus in prima die et in sabbato dumtaxat, et in aliis diebus infra eandem octavam Veni sancte spiritus; tertiam per octavam Corporis Christi, videlicet Lauda Syon, ubi primo die et dominica infra octavam et in octava die prosa cantatur totum, aliis diebus versus: Ecce panis angelorum cum reliquis usque ad finem. Praedictas prosas canimus statim finito versu Alleluia et conelusa prosa in fine cum Amen sicut fit in ymptis repetitur Alleluia. Cantamus etiam prosam post tractum Dies irae in commemoratione omnium fidelium defunctorum, in anniversariis fundatorum et in praesentia funeris fratris professi defuncti.

De Credo, quando habeatur in missa.

Credo habeatur in missa omnibus diebus dominicis totius anni, etiam si de festo missa fuerit; ad primam missam in nocte Nativitatis domini et ad omnes missas alias huius diei et deinceps per totam octavam; in octava sancti Stephani, eo quod venit infra octavam apostoli sancti Johannis evangelistae; item in octava sancti Johannis evangelistae, in Epiphania et per eius octavam, in conversione sancti Pauli, in Purificatione, Annuntiatione, Visitatione et Conceptione beatae Mariae, in eiusdem Assumptione et Nativitate et per earum duarum festivitatum octavas; in cathedra sancti Petri, in Coena domini, in Resurrectione et per eius octavas; in festo Ascensionis et per eius octavas; in Penthecosten et per eius octavas; in festo Corporis Christi et per eius octavam; in festo sancti Johannis ante portam latinam, in festo Apostolorum Petri et Pauli et per eius octavam; in octava sancti Johannis Baptistae, eo quod est infra octavam apostolorum Petri et Pauli;

in festo sancti Petri ad vincula; in octava sancti Laurentii et festo beati Bernhardi abbatis pro eo, quod veniunt infra octavam beatae virginis. In festivitatibus Angelorum, in festivitatibus sanctae Crucis, in festo omnium sanctorum, in festivitatibus XII apostolorum et evangelistarum, et sancti Barnabae apostoli, in omnibus consecrationibus ecclesiarum et altarium et in festo dedicationis eorundem habetur etiam credo. In missa de sancta Trinitate, de sancto Spiritu, de sancta Cruce, de beata virgine, quando duo ad missam ministrant. Credo in unum deum et patrem semper sub hac nota cantamus.¹⁾

De praefationibus in missa.

Notandum: Praefatio de nativitate domini habetur a die nativitatis domini usque ad festum Epiphaniae et in festo purificationis; Communicantes autem eiusdem habetur per octavam nativitatis inclusive. Praefatio de Epiphania cum suo Communicans habetur per totam octavam inclusive. Quod si de beata virgine aut Spiritu sancto vel de sancta Cruce missa infra eandem octavam habetur, dicitur praefatio specialis eidem missae congrua una cum Communicantes proprio ipsius octavae; et illud generale est de aliis festivitatibus proprias praefationes et Communicantes] fol. 46 r. [habentibus. Praefatio quadragesimalis habetur a die Cinerum usque ad dominicam palmarum dumtaxat in missa de tempore. Praefatio Qui salutem humani generis habetur a dominica palmarum usque ad feriam sextam, si non occurrat festum, et in omnibus missis de Cruce. Praefatio paschalis dicitur cottidie a vigilia paschae usque ad festum Ascensionis domini, nisi occurrat praefatio specialis; Communicantes autem dicitur a vigilia paschae usque ad sabbatum sequens inclusive. Praefatio de ascensione domini dicitur cottidie usque ad vigiliam penthecostis; Communicantes vero de eodem festo dumtaxat per octavam dicitur inclusive. Praefatio de sancto Spiritu dicitur a vigilia penthecostis usque ad sequens sabbatum infra octavam inclusive, similiter et Communicantes; dicitur etiam aliis temporibus dicta praefatio, quando missa habetur die sancto Spiritu. Praefatio de sancta Trinitate non habetur nisi in de eadem. Per octavam festivitatis Corporis Christi et in ipso festo habetur praefatio Quia per incarnati verbi misterium; similiter quodcumque de corpore Christi missa celebratur. Praefatio de apostolis habetur generaliter in missis de eisdem, similiter et in festis evangelistarum; in vigiliis apostolorum et beatae Virginis habetur praefatio cottidiana, in missis defunctorum semper praefatio cottidiana cum Communicantes generali habetur. Si infra

¹⁾ Neben diese Worte sind 4 Linien gezeichnet, aber nur in der obersten ist eine Note (c) wirklich gesetzt.

octavam, quae propriam habet praefationem de festo alio agatur, habetur praefatio de octava, nisi de quo missa habetur, propriam habeat praefationem.

De officio missae et ministerio altaris notabilia generalia et avisamenta quaedam utilia hic infra notantur.

Primo perlegatur diligenter rubrica de processu missae et secundum eandem quilibet sacerdos studeat procedere in missa. Novitii sacerdotes et hospites religiosi hic stare cupientes informantur per aliquem fratrem ydoneum de processu missae nec prius in publico missas dicere et praecipue cantare permittantur. Infra induitionem sacrarum vestium sacerdos meditari conetur misteria, quae vestes ipsae repraesentant. Circa inchoationem introitus missae in choro sacerdos et ministri exeant ad altare; in accessu vero et recessu altaris nulla fiat genuflexio, sed inclinatio dumtaxat profunda cum discoopertione plena. Sacerdotes in missis privatis non sint nimis sonorosi, ne impediunt celebrantes nec nimis depressi in legendo, ut a ministris auscultantibus valeant audiri. Psalmus *Judica me deus*, qui accessus minor vocatur, in missa conventuali dicatur ante gradus altaris stando cum ministro; in aliis autem missis poterit dici a solo sacerdote aut cum ministro, si sciat. Confiteor dicitur inclinando; post orationem *Indulgentiam versiculi* uniformiter dicantur, quales supra in processu describuntur. Sacerdos post confessionem generalem et ea, quae sequuntur, ascensurus ad altare inclinatus absque signo crucis dicit altius orationem: *Aufer a nobis*. Qua dicta ante medium altaris iunctis manibus super altari inclinatus aequaliter profunde dicat: *Oramus te domine*. Qua oratione completa, osculato altari et inclinans mediocriter] fol. 46 v. [vadit ad introitum inchoandum, nec cornua altaris nec librum nec ymagines in libro osculantur, excepto post evangelium locus eiusdem praemisso signo osculatur, ut de hoc circa processum clarius patet. De *Gloria in excelsis* et *Credo* quando in missa habeantur et quando non, patet supra; similiter de numero collectarum. Infra epistolam et deinceps usque ad evangelium sacerdos poterit tegere caput.

De calicis praeparatione.

In missa conventuali sacerdos postquam evangelium legerit praeparet calicem vel ab initio post introitum, si cantus brevis fuerit: quod si credo habetur dicto eodem praeparetur calix. In sola missa sollempni abbatis cerimoniae sollempnes circa calicis praeparationem habentur, ut infra patebit. In missis autem privatis calix a principio ante Confiteor praeparatur, nisi de eius congelatione propter frigus timeatur; tunc post vel ante offer-

torium debet praeparari. Credo quando habetur in missa cantata semper ex toto iuxta ordinationem ecclesiae in concilio Basiliensi factam debet cantari, similiter et praefatio et Pater noster. De ceremoniis circa incensationem vel thurificationem ac de calicis oblatae locationem processus missae diligenter videatur.

De renovatione sacramenti.

Sacramentum altaris si est renovandum, in missa conventuali et communiter circa initium mensis fieri debet; tunc infra Credo sub verso Et incarnatus est, in quo sub clausula Et homo factus est ab omnibus fit genuflexio portetur per dyaconum sacramentum ad altare subdyacono cum cereo et campanella praecedente. Simili modo in fine missae ab eisdem infra evangelium In principio erat ad locum suum reportatur.

De Tunsione pectoris.

Nullam per totam missam pectoris facimus tunsionem praeterquam, dum dicimus in Canone Nobis quoque peccatoribus, ad quae verba vocem modice exaltamus et pectus mediocriter tundimus. De practica circa fratrum communionem generalem patet infra in rubrica scilicet de hac in speciali. Legat sacerdos frequenter tabulam de periculis et casibus, qui celebrantibus accidere possunt, ut talibus instructus, si evenerint, sciat obviare.

De benedictione in fine missae.

Sacerdos in missa conventuali non dat benedictionem nisi per dyaconum plene dicatur Ite missa est vel Benedicamus domino, seu Requiescant in pace. Quo dicto vel respondente Deo gratias vel Amen dat postea benedictionem secundum consuetudinem nostram vertens se ad altare plicatis manibus dicit Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen. Sit nomen domini benedictum. **B.** Ex hoc nunc et usque in saeculum. Adiutorium nostrum in nomine domini. **B.** Qui fecit coelum et terram. Deinde versus altare alta manu signando dicit: Benedicat † et custodiat vos omnipotens Deus pater † et filius † et spiritus sanctus †. Amen. Deinde dicta oratione Placeat dicit evangelium In principio, circa cuius finem ad haec verba: Et verbum caro factum est genuflexio fit tam a sacerdote quam a ministris. Cetera plura patent in processu supra scripto.

De ministris altaris missae principalis.

Facto signo primo ad horam, quae immediate ante missam cantandam agitur studeant ministri debito tempore venire ad sacristiam, ut iam] fol. 47 r. [induiti venientem de choro sacerdotem induere iuvent; hoc idem post missam faciant vestes sacras exuentes. In festis XII lectionum et infra octavas sollempnes, in

vigiliis nativitatis domini et penthecostis ac in missis defunctorum sollempniter cum pulsibus cantatis, ut de sancta Trinitate, de sancto Spiritu, de sancta Cruce, sabbato de beata Virgine, in quibusdam etiam festis fori nec non quando missa de patronis vel de sancto Benedicto cantatur iuxta tamen praesidentis dispositionem duos ad missam ministros consuevimus habemus. Dyaconus et subdyaconus, quando simul ministrant, semper dalmaticis tunicis induuntur, exceptis feria quarta Cinerum et feriis tertia et quarta et sexta parasceves ebdomadae maioris, in quibus solum albis induuntur; dyaconus autem solus ministrans nunquam induitur tunica dalmatica, sed sola alba cum stola super humero sinistro. Dyacono et subdyacono simul ministrantibus primo procedit subdyaconus, deinde dyaconus portam calicem, sequitur hos sacerdos. Si est officium abbatis aut prioris primo vadunt ceroferarii duo, deinde accolitus primus cum incenso deponit hos dyaconus et subdyaconus et postea sacerdos, in fine minister abbatis baculum portans. Diacono solo ministrante unus ex accolitis, quem ordo tangit, superpellicio albo indutus cum exposito desuper toto capucio habitus legit epistolam ante medium altaris. Ante altare dyaconus a dextris sacerdotis et subdyaconus stat a sinistris, quod et sedendo observant cum sacerdote, post epistolam et dicendo tantum¹⁾ cum sacerdote usque post evangelium, ubi deinceps dyaconus propter ostendere sacerdoti cantum, orationes secretas orationes et vetera folia infra canonem stat a sinistris circa librum. Si vero dyaconus solus ministrat, tunc semper stat et sedet ad sinistram excepto dum ante evangelium collectas etc. sacerdoti quaerit et ostendit. Insuper ipsi ministri altaris cum inclinationibus et discooperationibus choro se conformare non tenentur, sed sacerdoti missam cantanti et suis officiis intendant, simul cum eodem cerimonias debitas observent nec infra canonem genuflectunt excepto dum sacramentum elevatur et infra communionem. Solius abbatis dum missam cantat manus osculatur, cum ei aliquid datur, etiam quando abbas dicit: Dominus vobiscum vertendo se vel Orate²⁾ genuflectendo casulam osculatur. In aliis autem missis per ministros ad praedicta fit sola inclinatio profunda. In missa abbatis infra graduale vel alleluia dyaconus calicem cum vino iam per eum infuso portet ad praelatum sedentem et subdyaconus ampullam aquae et flectentibus eis recipit abbas per se aquam immiscens calici cum oratione: Deus qui humanae ut supra. Et deinde dyaconus calicem ad altare reportat patenam cum hostia desuper inde locando. In missa conventuali circa finem gradualis aut alleluia dyaconus circa sinistrum cornu altaris

¹⁾ Am Rande steht: cantum.

²⁾ Am Rande steht: diaconus.

versus presbyterum flectens petit benedictionem ad evangelium, qua accepta per sacerdotem in loco, ubi sederit, iam nunc stantem vadit ante medium altaris signando pectus et labia cum verbis consuetis osculatur altare et facta inclinatione transit] fol. 47 v. [lecturus ad locum evangelii, quod manibus elevatis et devote complicatis legit Subdyaconus vero, si non est thurificatio facienda ad evangelium, sicut fit in officio abbatis aut prioris, quando non canunt pro defunctis, manet stans a sinistris sacerdotis usque post finem evangelii et tunc ostenso sibi per dyaconum evangelio librum offert primo sacerdoti, postea diacono ad osculandum et tertio ipse osculatur. Deinde, si abbas est in choro, offertur eidem codex per acolitum In missa autem abbatis accepta benedictione ad evangelium dyaconus priusquam vadit ad legendum, accedit ad abbatem et genuflectendo osculatur manum eiusdem, et inclinatione facta¹⁾ vadit ad legendum et alia fiunt ut supra.

De thurificatione ad evangelium.

Si est thurificatio facienda ad evangelium unus ex acolitis paratum cum prunis offert thuribulum subdyacono et dyaconus inmisso incenso postquam dixerit: Sequentia sancti evangelii etc. thurificat librum et post reddit ipsum thuribulum subdyacono, qui stans retro pulpitem ad sinistram incensat continue usque ad finem evangelii. Quando sacerdos vadit ad lavandum manus, dyaconus superfundit et subdyaconus tenet scutellam, super qua fit lotio In solis missis festorum duplicium subdyaconus sub inceptione praefationis usque ad finem Pater noster patenam tenet elevata aequaliter manu cum toallia sive panno subtili tectam. Infra canonem quando sacerdos circa haec verba Qui pridie hostiam consecrandam ad manus recipit, tunc primo dyaconus flectit, cui se conventus conformat. Dyaconus in XII lectionibus et infra octavam tabulam pro pacis osculo sacerdoti porriget, a quo et reaccipit datque subdyacono, qui consequenter dat acolito et acolitus choro. Dyaconus etiam calicem circa sumptionem non discooperiat, quousque sacerdos plene sumpserit panis sacramentum In missis privatis ministrantes infra sacerdotis communionem flectunt usque ad plenam sacramenti calicis sumptionem. In singulis dominicis festis duplicibus et semiduplicibus post offertorium dumtaxat fit thurificatio. In missis autem abbatis aut prioris, quando non est officium de requiem, fit thurificatio: ab initio missae post Confiteor et circa evangelium et post offertorium ac infra sacramenti elevationem. Dyaconus solus semper cantat *Ite missa est*, quod dum cantat solus ipse et non subdyaconus se ad chorum vertit

¹⁾ Am Rande ist noch hinzugefügt: et osculato altari.

De colore vestium in missa conventuali.

Infra adventum domini et a septuagesima usque ad dominicam Judica, in vigiliis apostolorum, Johannis Baptistae, sancti Laurentii, in ieiuniis quatuor temporum excepto penthecoste et in missa defunctorum sacerdos, etiam ministri nigris induantur, nisi occurrat missa cantanda de festo. In vigilia Nativitatis domini in albis; in prima missa in nocte nativitatis Christi in albis; in secunda in rubeo, in tertia in albis aut flaveo pretioso cum locustis aureis. In sancti Stephani in rubeo, in sancti Johannis evangelistae in albis; a festo nativitatis domini usque ad octavam Epiphaniae, quando de tempore canitur, in albis; a dominica post octavam Epiphaniae usque ad septuagesimam et ab octava penthecostes] fol. 48 r. [usque ad adventum domini, quando de tempore canitur, in bruno, nisi sanctorum festa occurrant, iuxta quorum congruentiam ornatus variantur. A dominica de passione domini usque ad pascha in rubeo. In Coena domini ad missam in albis vel rubeo. In parasceve ad missam in nigro vel rubeo. Passiones cantantur in rubeo excepta parasceve, in qua passio legitur in sola alba sine tunica. In vigilia paschae cereus in rubeo benedicitur et usque ad letanias sacerdos et ministri rubeis induantur, ad missam vero postea in albis. A festo paschae usque ad penthecosten, etiam in diebus rogationum, in albis. De sanctis tamen vestes solitae habentur. In vigilia penthecostis sicut in vigilia paschae, in sancto penthecoste et per totam octavam in rubeo. In festo sanctae Trinitatis in flaveo pretioso. In festo Corporis Christi et per octavam in albis: in missis de beata virgine Maria in albis. In sancti Johannis Baptistae nativitate et per octavam in albis vel in rubeo. In festo Conversionis sancti Pauli in albis. In kathedra sancti Petri in viridi. In missis de angelis in albis. In festo omnium sanctorum in albis aut rubeo vel in flaveo pretioso. In festo dedicationis ecclesiae in albis aut rubeo aut flaveo pretioso. In festis apostolorum in rubeo vel flaveo mediocri, in festis martyrum, etiam si pontifices fuerint, in rubeo mediocri; in festis Confessorum pontificum in viridi. In festis simplicium confessorum in bruno, si festum tale duplex fuerit; infra octavam sancti Benedicti in bruno. In festis virginum in albis, in festis Viduarum in bruno vel in albis. In missa de sancto Benedicto in bruno. In missa de sancto spiritu et de sancta Cruce in rubeo sine floribus.

Supradictus modus signatus est iuxta vestium et ornamentorum dispositionem, quae pro tunc in sacristia nostra habebantur, quae tamen caerimoniae colorum possunt ex causis variari.

De missis specialibus, quae certis temporibus in conventu cantantur.

Notandum, quod ab octava penthecostis usque ad adventum domini et ab octava Epiphaniae usque ad septuagesimam, quando non occurrit festum vel missa specialis de tempore cantanda, secunda feria canimus missam in conventu pro defunctis, tertia feria de sancto spiritu, quarta feria de sancto Benedicto, quinta feria de Corpore Christi, sexta feria de sancta Cruce et sabbato de beata virgine, in quibus missis tam Epistolam quam etiam Evangelium de eisdem et non de tempore habemus. Infra adventum tamen si non occurrit missa specialis, sabbato de beata Virgine missam principalem habemus cum commemoratione de tempore. Infra septuagesimam etiam usque ad caput quadragesimae et tempore paschali, si non occurrit festum, dicto sabbato de beata virgine, sed et in reliquis feriis eiusdem temporis nonnunquam de sancto spiritu aut de sancta Cruce iuxta praesidentis tamen dispositionem missam principalem cantamus; quod etiam de officio sanctae Trinitatis observamus.

De missis specialibus in conventu] fol. 48 v. [praeter missam principalem cottidie lectam.

Missae de beata virgine Maria in loco ordinato quotidie dicitur iuxta rubricam suo tempore occurrentem exceptis festivitibus Christi scilicet Nativitatis, eius resurrectionis et ascensionis, Penthecostis et sanctae Trinitatis atque Corporis Christi, Omnium sanctorum, Dedicacionis ecclesiae, in quibus festis poterit dici missa de festo addita commemoratione de beata virgine cum collecta competenti. In eadem missa semper imponatur Collecta: Praetende pro salute vivorum congregationis nostrae, fratrum benefactorum recommendatorum ac famulorum nostrorum.

Missae pro fraternitate.

Missae pro defunctis fraternitatis nostrae benefactoribus et ceteris, quorum cottidie in officio capitulari memoriam agimus, dicitur in altari sancti Michaelis circa sepulturam duorum fundatorum de requiem sive officio mortuorum ut patet circa rubricam de agenda defunctorum.

Missae capellarum.

Missae capellarum dicuntur per fratrem in tabula positum¹⁾ feria secunda in capitulo in uno trium altarium²⁾ feria quarta ad sanctum Nicolaum.³⁾ Sabbato ad tres Reges.

¹⁾, ²⁾ u. ³⁾. Am Rande ist beigefügt: Dominica die in altari s. apost. Petri et Pauli — feria tertia ad s. Johannem Baptistam in capella Seyboldstarfer — item quinta in altari sanctae Mariae Magdalenaee.

Qua hora missa conventualis cantetur.

Missa conventualis diebus binae refectionis et in ieiuniis pure regularibus semper cantatur inter tertiam et sextam. In ieiuniis autem ecclesiae et generaliter in omnibus sextis feriis et in quibusdam aliis ieiuniis, quibus populus ex devotione consuevit ieiunare, ut in diebus rogationum, vigiliis purificationis, nativitatis beatæ virginis, et in vigilia Corporis Christi semper inter sextam et nonam missa cantatur; quod si duae missae sunt cantandae, ut de festo et de tempore vel vigilia, prima cantatur post tertiam et secunda post sextam. Missa autem pro defunctis quando non cantatur loco officii principalis, habetur statim post primam ante capitulum. Notandum etiam, quod si festum trium lectionum¹⁾ venerit in vigiliam aliquam, missa cantatur de vigilia cum commemoratione tantum festi; quod etiam servamus, quando vigilia venerit in sabbato, in quo frequenter commemorationem agimus de beata virgine. Si tamen est festum XII lectionum, officium cantatur de sancto et commemoratio habetur de vigilia et nichilominus missa alia integra dicitur de vigilia. In quadragesima vero tam de festo quam de tempore, nisi ex causa praesidens aliter disposuerit, specialis missa cantatur.

Quando fratres infra sacerdotium sint communicandi.

Fratres communicant generaliter in dominica prima cuiuslibet mensis et in adventu domini et in quadragesima singulis dominicis diebus, nisi ante aut post dictarum dominicarum aliquid festum speciale communionis generalis occurrat infra triduum. Item communicant in festo Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae domini, in die Purificationis beatæ virginis, in festo sancti Benedicti, in festo Annuntiationis, in die Coenae domini, in festivitatibus Resurrectionis et Ascensionis domini, Penthecostis et Corporis Christi. In festis Visitationis, Assumptionis, Nativitatis beatæ virginis, in festo angelorum et in die Omnium sanctorum. Quando in praedictis diebus frater aliquis ex causa quacunque a sacra communione [fol. 49 r. [de licentia abstinerit, alia die sequenti et apta recuperare negligentiam illam non obmittat. In missis etiam privatis eis communicare liceat, quotiens voluerint secundum consilia tamen suorum confessorum.

De communione totius conventus in die Coenae.

Fratres in die Coenae de manu abbatis generaliter omnes sacram communionem iuxta subscriptam formam percipiunt; flectunt ante medium altaris bini et bini secundum ordines suos; et post-

¹⁾ Am Rande stehen mehrere unleserliche Bemerkungen.

quam sacerdos sumpserit sacramentum calicis, interim quod ipse recipit purificationem primam, fratres dicunt Confiteor; tunc sacerdos locato calice cum vino primo infuso extra corporale ad dextram iunctis manibus rigans¹⁾ se ad fratres dicit: Misereatur etc. Indulgentiam etc. In fine addit: Pro poenitentia salutari dicatis Pater noster vel Ave Maria. Et vertens se ad medium altaris adorato sacramento recipit in patenam particulas necessarias et vertens se ad communicantes et habens sacramentum in duobus digitis super patenam facit crucem largam versus chorum cum eodem, tunc communicandi dicunt ter Domine non sum dignus etc. Quo expleto sacerdos dicit: Accipite fratres viaticum corporis et sanguinis domini nostri Jesu Christi, qui vos custodiat ab hoste maligno et perducatur animas vestras in vitam aeternam. Amen. Et faciens crucem cum sacramento ante quemlibet communicantem dicit: Corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam aeternam. Et post ministros, qui primo communicant, semper communicatis duobus primo seniore, qui ad dexteram et postea sequente, qui ad laevam flectit, accedunt pariter bini et bini; dyaconus vero et subdyaconus tenent toalliam vel mappulam e regione flectentes propter periculum vitandum; post et infra communionem acolitus praeparatum cum vino calicem singulis offert propter reliquias sacramenti fortassis in ore manentes. Completa communionem sacerdos caute videt, si sint species aliquae supra patenam vel supra corporale quas cum patena levans supra purificationem primam servatam usque post communionem mundat et sumit. Deinde cum verbis consuetis sumit digitorum lotionem secundam. Et facta ablutionis digitorum super eo quod in calice ablutionis remansit, procedit ulterius ut in processu patet. Et expleta communionem fratres redeunt simul ad chorum.

De communionem fratrum non sacerdotum in praedictis temporibus.

Fratres vero non sacerdotes et conversi ac presbyteri celebrare non potentes statutis diebus communicantes flectunt in gradu medio ante altare summum per girum, primo altaris ministri, ut dyaconus et subdyaconus, et deinde acoliti, si ministrant in paramentis, deinde ceteri secundum ordines suos ordinate et fixe quilibet in loco suo. Et dicto ab omnibus Confiteor, ut supra, sacerdos in patena receptis particulis necessariis per seipsum aut diaconem vel alio sacerdote sibi easdem cum speciali patena porrigente, ipse nichilominus patenam in manu tenens, ab eodem sibi assistente et ministrante singillatim sacras hostias recipit et per singulos] fol. 49 v. [fratres per circuitum incedens singulis in suis,

¹⁾ Soll heißen: girans.

ut praemittitur, locis flectentibus sacramenti porrigat communionem modo et forma praescriptis. Si quis autem absque alio assistente sacerdote modo iam tacto per se solus fratres communicant, talis necesse est cautelas debitas observet, ne scilicet patenam cum sacris hostiis ad fratrum ora nimis prope reclinet propter exsufflationis periculum aut alias irreverentias evitandas.

II.

[fol. 50 r.] In nomine beatissimae ac individuae Trinitatis. Amen.

Redemptor humani generis visitans nos oriens ex alto quamvis communem vivendi modum per praecepta docuit dicens: Si vis ad vitam ingredi serva mandata, modum tamen maioris perfectionis non tacuit cum dixit: Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me. Quem modum vivendi tandem sancti patres distinctione habituum et doctrinis regularum spiritu sancto inspirante introduxerunt, prout non minimus est modus vivendi ordinis sanctissimi patris Benedicti. Qui tamen ordo modo propter raritatem visitationum in pluribus locis a primaeva institutione multipliciter declinavit. Quapropter beatissimus pater et dominus noster generosissimus dominus Nicolaus modernus papa quintus ad partes alemaniae legatum suum Reverendissimum in Christo patrem dominum Nicolaum tituli sancti Petri ad vincula presbyterum Cardinalem transmisit, ut per eius sollicitudinem et industriam tam sacra religio monasteriorum in dictis partibus collapsa salubriter reviviscat quam vita monastica in locis vigenis reformatis proficiendo in melius laudabiliter perseveret.

Hinc est, quod nos fratres Martinus, abbas Scotorum Viennae, Laurentius, abbas Cellae Mariae et Johannes Slitpacher, professus Mellicensis monasterii vices sui abbatis gerens ordinis sancti Benedicti Pataviensis dioecesis Visitatores monasteriorum ordinis iam dicti utriusque sexus in provincia Salzeburgensi constitutorum per praefatum Reverendissimum patrem dominum Nicolaum ad visitandum dicta monasteria reformandum, corrigendum ac ordinandum deputati, prout literis commissionis eiusdem Reverendissimi patris desuper confectis plenius continetur. Tenore praesentium notum facimus, quod ad monasterium beatissimae Virginis Mariae in Scheyrn praedicti ordinis Frisingensis dioecesis secundum commissionem nobis factam visitandi gratia venientes ac visitationis opus illic exercentes temporalium ac spiritualium eiusdem monasterii statum a personis ipsius monasterii professis diligenter perquisivimus et invenimus ipsum monasterium in spiritualibus per moderni domini abbatis operam in observantia regulari competenter vigiisse, sed in temporalibus ob debita per eius praedecessores

contracta gravatum fuisse. Sed quia ad nostram commissionem principaliter pertinet providere et diligenter agere, ut monasteria per nos visitanda nedum ad bonum statum tam in spiritualibus quam in temporalibus perducantur, sed etiam in futura tempora in tali statu conserventur: Idcirco praeter multas nostras verbo doctrinae instructiones subscriptas ordinationes ad hoc necessarias et perutiles a nobis collectas professis huius monasterii ab eis observandas relinquimus. Ab opere ergo Dei, cui secundum regulam beatissimi patris nostri Benedicti nichil praeponendum est, incipientes statuimus et ordinamus, ut divinum officium in omni loco et signanter in choro cum reverentia et morum gravitate religiosiis ceremoniis atque verborum integritate tractim et cum debitis pausis discantibus et nimis clamoribus exclusis tam legendo quam cantando ab omnibus huius monasterii regularibus personis devote persolvatur; et psalmodia praesertim diurnarum horarum stando peragatur. Nec ad psallendum, cantandum vel legendum scolares aut alii saeculares fratribus coniungantur. Officium tamen missae scolares, prout necessitas exigit, sine fratribus in loco apto] f. 50 v.] possunt decantare. Item ut praesens monasterium cum sacro specu ac monasteriis ab eo originaliter reformatis in cultu Dei ad conformitatem reducatur aliqualem, auctoritate nostrae visitationis concedimus, ut dominus abbas et conventus huius monasterii valeant rubricam romanam assumere et calendariis concordatis eandem in divinis officiis secundum consuetudinem dictorum monasteriorum deinceps praticare absque tamen principalium librorum missalium et cantualium corruptione. Placet insuper nobis, ut officium cursus de beatissima virgine Maria secundum consuetudinem sacri specus et monasteriorum inde reformatorum agatur in futurum. Item statuimus, ut cuncta divina officia congruis horis praemissis debitis signis iuxta traditionem regulae et monasteriorum nostri ordinis reformatorum consuetudinem peragantur ita ut ad matutinum circa medium noctis excitetur. Ad primam autem diebus ieiuniorum hora sexta pulsetur et nona hora undecima terminetur. Aliis vero diebus ad primam hora quinta excitetur et nona circa duodecimam finiatur; sed hora vesperarum hyemis tempore sic moderetur, ut extra quadagesimam necnon diebus binae refectionis circa horam quartam regulariter finiantur, diebus autem ieiuniorum in aestate ante quintam horam terminantur. Hora vero collationis et completorii ita moderetur, ut aestivo tempore circa horam sextam, hyemali autem, quando ieiunatur, circa quintam horam completorium finiatur. Et ut haec commodius fieri possint, horologium a sollicito fratre registretur, cui aut alteri officium excitandi committatur. Item quia Confessionis sacramentalis, si rite fiat, magnus est fructus, ideo abbati iniungimus, ut fratribus suis discretos et

boni zeli constituat confessores inter lepram et non lepram discernere scientes, qui potestatem habeant absolvendi fratres in casibus abbati reservatis. Ita tamen, quod eos propter tales casus abbati remittant, cui infra octo dies, si sui copiam habere possint, se praesentent. Nec confessores aliquem absolvant, qui se modo iam tacto abbati praesentare recusaret. Neque aliquis fratrum alicui ad placitum confiteatur aut alium absolvat sine licentia praelati aut alterius praesidentis vicem abbatis gerentis. Abbas tamen, ut vultum pecorum suorum agnoscat, omnium monachorum suorum bis in anno vel saltem semel ab adventu usque ad pascha confessiones audiat generales. Ipse etiam quantum cura permittit rei familiaris, frequenter sit cum fratribus in conventu scilicet in capitulo, in choro ac refectorio, ut maior disciplina ex sui praesentia servetur corporali. Item quia devota missarum celebratio vivis prodest et defunctis, ideo omnes huius monasterii sacerdotes frequenter et devote missas curent celebrare et nullus ultra tres dies sine causa rationabili et licentia praesidentis praesumat abstinere. Provideat tamen abbas pro confessionum auditione et promissis privatis congruum et tempus sufficiens ac ministros, ne lecturi missas negligantur. Monachi vero non presbyteri singulis ebdomadis confiteri et primis singulorum mensium dominicis secundum ordinationem iuris debent communicare necnon in festis principalibus secundum laudabilem consuetudinem praesentis monasterii. Si tamen aliquis fratrum ex devotione frequentius velit in privato communicare, debet sibi concedi. Item quia] fo^l. 51 r. [sine punitione negligentiarum et excessuum vita regularis nequit in longum perdurare, ideo per abbatem, priorem aut alium praesidentem quotidiana teneantur capitula, ubi post lectionem regulae et alia si qua dicenda fuerint fratres de suis culpis se humiliter accusent aut per praesidentem et alios seniores religionis zelatores caritative proclamentur et absque personarum acceptione secundum culparum exigentiam et personarum qualitatem puniantur. Culpae autem generales semel singulis mensibus recitentur. Item quia virtus silentii est pacis conservatrix et sacrae custos religionis, regulae et ordinationi iuris innitentes statuimus, ut in locis conventualibus et praesertim in refectorio, dormitorio et oratorio et maxime omni tempore post completorium decantatum usque ad capitulum diei sequentis ab omnibus monachis huius monasterii continuum silentium servetur, excepta necessitate aut utilitate, cum licentia tamen praesidentis. Quod si quis hanc legem silentii post completorium transgressus fuerit, disciplinam vel comestionem in terra sustineat; si vero alio tempore in oratorio, dormitorio vel refectorio vel tempore dormitionis meridianae, a primo cibo et a media parte vini abstineat; si vero aliis locis silentium solverit, aut uno cibo privetur aut media vini careat portione. Quas tamen poenas sicut

praesidens potest aliquibus ex causis augere, ita aliis quandoque minuere, nunquam tamen totaliter relaxare. Pro recreatione tamen fratrum concedimus, ut extra quadragesimam et adventum domini singulis ebdomadis semel hora prima usque ad horam secundam generale colloquium de rebus utilibus una die teneatur. Item quia dicente beato Benedicto otiositas inimica est animae, ideo volumus, ut huius monasterii professi orationi, lectioni, meditationi et labori insistant. Innitentes vero practicae monasteriorum ordinis nostri bene institutorum horas lectionis et laboris manualis ita determinamus, ut scilicet diebus ieiuniorum post sextam usque ad signum pro nona, vel post tertiam usque ad signum pro sexta, aliis vero diebus post nonam usque ad horam primam lectio regularis habeatur. Horam autem primam post meridiem et diebus ieiuniorum, quando habetur dormitio meridiana, horam secundam laboribus deputamus, ordinationem illorum operum quadragesimae temporibus abbatis discretioni committentes. Item quia rerum proprietates saluti religiosorum est contraria, ideo auctoritate nostrae visitationis singulis personis huius monasterii professis stricte iniungimus, ne aliqua earum proprium per se aut alium occulte sive manifeste habeat aut acquirat aliquid nec quidquam a quocumque homine sine licentia accipiat aut dare alicui praesumat; nec abbas licentiam habendi aliquid ut proprium alicui concedere licite potest. Item seriose volumus, ne pro singulis fiat distributio pecuniarum nec panis vini et caseorum vel huiusmodi de oblatis sive aliunde, sed pariter fratres in communi refectorio singuli de singulis scutellis manducent. Remanentiae quoque potus et ciborum a nullo fratrum pro sui usu exportentur, sed ad arbitrium abbatis pauperibus erogentur; nec aliquis monachorum de re quacunque sibi concessa meum dicere praesumat nec literas mittere vel recipere audeat sine licentia superioris.] fol. 51 v [Item ut occasiones huius nequissimi vitii penitus auferantur, auctoritate qua supra domino abbati firmiter iniungimus, ut omnibus fratribus sufficienter et honeste in victu et amictu, lectisterniis et aliis necessariis per se et suos officiales provideat. Cibi conventuales cum diligentia disponantur, coquantur et condiantur et ad tollendum fastidium discrete alternentur; omnia quae ad hoc necessaria scilicet ova, legumina, sagimina, casei, pisces, fructus et similia temporibus debitis et in sufficienti copia compareantur. Concedimus etiam, ut diebus ieiuniorum pro conventu quatuor cocta fercula, diebus vero binae comestiones ad prandium tria et ad coenam duo in copia sufficienti singulis fratribus distribuantur. Panis esibilis et bene praeparatus conventui apponatur. Vinum sanum in competenti quantitate ministretur, aut cerevisia bene potabilis sufficienter ministretur, si vinum nequeat haberi, crapula tamen et ebrietate semper seclusis. A servitio mensae similiter a lectura.

ad mensam nullus eximatur exceptis praesidentibus et aliis legitime impeditis. Mixtum panis et vinum et non aliud comestibile sit. Item esum carniū et ciborum cum carnibus aut pinguedine carniū conditorum omnibus huius monasterii monachis sanis et fortibus secundum regulam et ex speciali commissione domini legati praenominati prohibemus; qui omnes dispensationes in contrarium per quemcunque visitatorem factas tamquam regulae contrarias literarum suarum tenore irritas esse decernit. Infirmis tamen et omnino debilibus pro suarum virium reparatione esum carniū (in) infirmaria concedatur. Hospitibus etiam supervenientibus et familiae praesentis monasterii infra eiusdem septa carnes nullatenus ministrentur, exceptis locis specialiter pro esu carniū ipsis deputatis. Septa autem huius monasterii esse decernimus totum ipsius monasterii ecclesiam, murum cimiterium includentem cum domo infirmariae nec non dormitorium cum omnibus inclusis locis conventualibus, domum abbatis cum aedificiis annexis per circuitum usque ad turrim. Item ieiunium regulariter ab omnibus professis huius monasterii secundum capitulum 41. regulae observetur rationabilibus tamen ac necessariis dispensationibus semper salvis. Caveat tamen abbas aut eius vices gerens, ne in dispensando super ieiunio nimis facilis aut nimis strictus sit et praesertim, ne idem ieiunium toti conventui absque sufficienti causa relaxet, ne ex hoc observantia veniat in collapsum. Item quia quandoque aliqui religiosi contra provisiones murmurant et aliis occasionem querulandi parant, huic morbo occurrere cupientes volumus, quod abbas de provisione victualium cum fratribus deum timentibus et expertis deliberet ad regulam et monasteria bene instituta respectum habendo et contra talem moderationem sic deliberate factam in quantitate et qualitate nullus fratrum audeat murmurare; et si quis praesumpserit, in abstinentia vini et duorum ferculorum et alia abstinentia condigne puniatur; et si alios ad murmurandum provocavit, durius affligatur. Item abbas infirmariam cum cameris, lectisterniis ac ceteris necessariis provideat sufficienter committatque officialibus suis, ut fratres secundum suas infirmi] fol. 52 r. [tates defectum nullum patiantur. Provideat etiam infirmarium fratrem sollicitum Deum timentem et patientem, qui eis diligenter ministret et necessaria ipsis procuret. Abbas tamen aut prior non sit nimis facilis concedere fratribus ingressum ad infirmarium, indigentibus tamen consentiat et non indigentibus ingressum rationabiliter disuadeat; quod etiam circa constitutos in infirmaria postquam meliorati fuerint observandum est. Infirmi vero sic se religiose exhibeant, ut eis fides adhiberi queat et amatores observantiae regularis possint iudicari. Item vestiarium fratrum cum pannis et ceteris ad vestitum et lectisternia fratrum necessariis, cum papiro, incausto et huiusmodi per

abbatem provideatur sufficienter et secundum eius commissionem per fratrem sollicitum conserventur et dispensentur. Putamus tamen in his partibus pro singulis fratribus loco camisiarum linearum eis in iure prohibitarum sufficere duas tunicas albas nocturnales, unam longam tunicam exteriorem, unam cucullam sine manicis et aliam cum manicis, quae floccus dicitur, scapularia capuciata, unum nocturnale parvum, aliud diurnale maius, unum pellicium ad minus, calceos filtratos pro hyeme et duos simplices caligas et mitras necessarias. Nullus tamen monachorum pellicio aut subductura de pellibus animalium silvestrium utatur. Item stramenta lectorum per singulos sit stropodium filtrum sive matracium de lana ovina, duo lintheamina lanea tecturae quantum exigit indigentia, cervical et capitale de plumis cum mitris et pannis capitalibus. Nullus fratrum in cella sua cistam aut aliud repositorium sub clausura clavis habeat; sed et cellae fratrum de die sic apertae sint, ut praesidentibus liber pateat ingressus; quas cellas abbas et prior, saepe visitet, ne fratres superflua aut aliquid sine licentia retineant. Nemo ceterorum alterius cellam sine speciali licentia intret; alias casum abbati reservatum incurrat et nichilominus puniatur. Item post completorium dormitorium congruo tempore claudatur; levitates, discursus et strepitus aliorum impeditivi diligenter vitentur. Excedentes autem et clausuram dormitorii ex sua culpa negligentes puniantur. Ad dormitorium vero tantum abbas, prior et sacrista claves habeant, qui sacrista et plebani pallas altarum corporalia, sacculos calicum, ornatus et omnes vestes ad Dei cultum pertinentes nitidas et mundas esse procurent. Item volumus, quod fratres de cetero non extra monasterium in aestuario laycali, sed intra monasterium in balneo quantotius fabricando debent balnari. Similiter lotio pedum cum hospitibus et sabbato inter fratres semel saltem infra quindenam practicetur. Item quia praesentia mulierum libidinis praebet incentivum, igitur firmiter statuimus, ut nulla unquam mulier ad chorum et ad absides ac intra supradicta monasterii septa ingredi permittatur dempta parte ecclesiae posteriori; et si aliqua ab aliquo fratrum, etiam si mater eius fuerit, intra dicta septa introduceretur, in terrorem aliorum ab abbate puniatur. Et quoniam claustrum a claudendo] fol. 52 v. [nomen accepit talis semper locorum conventualium clausura servetur, ut extraneis personis et laycis non liber pateat ingressus et fratribus egrediendi sine licentia occasio auferatur. Item quia teste beato Benedicto vagari extra monasterium omnino non expedit animabus monachorum, igitur raro monachis huius loci egrediendi de monasterio licentia concedatur nec quisquam illam obtineat nisi ex evidente utilitate aut necessitate abbati exposita et per ipsum approbata. Egressuro vero per abbatem terminus redeundi praefiga-

tur, infra quem si cessante legitimo impedimento venire neglexerit taliter, ut ceteri metum habeant, puniatur. Exeuntes vero de monasterio vestibus utantur religiosis pro via deputatis aut talibus, quales in monasterio deferre consueverunt. Item quia continuatio vitae regularis pendet ex novitorum collectione et eorum religiosa instructione, igitur eis magister instituitur, qui verbo et exemplo ad lucrandas animas aptus sit, eos in cunctis quae ad salutem eorum pertinent ac vitam regularem diligenter informet, necessaria eis procuret, in temptationibus ipsos consoletur. Nemo aliorum de eorundem cura se intromittat sine licentia; qui toto tempore probationis suae cucullam sine manicis in lateribus totaliter apertam et scapulare deferant in partibus inferioribus rotundum, ut ita habitus ipsorum ab habitu differat professorum. Qui probationis tempore finito si idonei reperti fuerint ad religionem, secundum regulam sub debita forma expressam faciant professionem sine munerum receptione aut conviviorum provisione. Item ut abbas levius onus ferat pastorale, ordinamus, quod ipse habeat aliquos fratres consiliarios cum consilio conventus per scedulas eligendos, quorum consiliis in casibus dubiis utatur, causas tamen quae conventus consensum aut consilium requirunt non terminent, sed priusquam incipiantur, ad conventum deducantur. Et deficiente uno consiliariorum quocunque modo in locum suum abbas alium eligat cum consilio reliquorum. Item futuris dampnis monasterii efficacius obviare cupientes statuimus, ut sigillum conventus sub pluribus dissimilibus clavibus in archa bene firmata teneatur, quas omnes vel ad minus duas conventus publice in capitulo fratribus committat timoratis; qui nullam litteram sigillo conventus sigillari permittant nisi antea ea lecta et audita conventus aut maior eius pars capitulariter consenserit. Similiter privilegia, elenodia potiora monasterii ac notabilia pecuniarum deposita sub diligenti custodia et pluribus clavibus teneantur, quarum unam ad minus conventus retineat. Item ut status monasterii clarius cognoscatur volumus, ut abbas ad minus semel in anno coram praefatis consiliariis aut aliis per conventum electis de omnibus per eum et suos officiales perceptis et distributis plenam rationem facere teneatur. Cellerarius autem et alii officiales, quotiens abbati placuerit, rationem facere teneantur. Item abbas in spiritualibus vicarium utilem priorem videlicet instituat] fol. 53 r. [claustralem, qui potens sit in opere et sermone, ut exemplo verboque doctrina fratres suos instruere possit in bono et a malo revocare. Similiter cellerarium secundum capitulum 31. regulae ad tale officium idoneum constituat, qui ad arbitrium ipsius necessaria pro monasterio procuret et custodiat atque impensas ad eius officium necessarias retineat, et victualia conventui et infirmis ministret iuxta modum praenotatum, cui si necesse fuerit pro

solatio alius frater deputetur, qui magister coquinae aut dispensator poterit nominari. Item sicut actu parochia S. Martini penes monasterium per sacerdotem regitur saecularem, ita diligenter cogitet dominus abbas, ut ipsa in futurum per talē idoneum virum saecularem regatur, ne non ecclesia beatae virginis in Scheyrn inferiori, ne fratres graventur et praesertim durante paucitate personarum. De prioratu vero in Vischpachaw si per fratres debeat regi, conscientiam domini abbatis oneramus; qui tamen fratres in lectisterniis victu et amictu sine esu carniū secundum regulam et commissionem domini legati specialem debent vivere regulariter sicut obligantur vitantes consortia mulierum; si tamen servitricē aliqua propter curam domus et animalium indigeant, tantummodo honestam habeant, quam tamen seorsum faciant quiescere et habitare. Item ordinamus quod singulis annis circa festum purificationis beatissimae virginis Mariae Prior, Cellerarius, plebani et alii huius monasterii officiales religiosi in plena congregatione capituli petant se a suis commissionibus per abbatem absolvi; qui tamen non nimis sit facilis ad mutandum officiales, sed cum consiliariis tractet et per se cogitet, qui sint aut non sint absolvendi. Item nullus monachus demptis officialibus administrationem habentibus intra huius monasterii septa existens aliquam pecuniam sine licentia retineat per diem naturalem; prior tamen servare potest novitiis pecunias, quas aput ipsum deponere volunt. Item futuris turbationibus obviare cupientes domino abbati districte mandamus, ne occasione ad nos deductorum in ista visitatione per fratres sive verbo sive scripto aliquem eorum corrigendo aut alias quovis modo praesumat molestare sub gravi poena per nos aut alios visitatores sive ordinarium loci sibi irremissibiliter infligenda. Sub eodem mandato et debita poena fratres volumus in hoc negotio obligari; et si qui eorum conspiratores aut conspiracyōnis contra abbatem auctores reperti fuerint, graviter puniantur. Item seriose dominum abbatem requirimus, quatinus diligenter invigilet, ne nostrae ordinationes, prohibitiones et statuta per suam aut sui prioris negligentiam in contēplum veniant aut collapsum. Alioquin si secus fecerint, non inmerito sui officii iacturam habebit formidare; et ne aliquis per ignorantiam praemissorum se valeat excusare, abbati qui pro tempore fuerit, seriose praecipimus, ut hanc cartam diligenter custodiat futuris visitatoribus pro reformatione huius monasterii deputandis praesentandam. Cuius copia penes priorem] fol. 53 v. [habeatur et singulis quatuor temporibus anni semel integre et distincte in conventu legatur, quam quidem cartam in singulis suis articulis nemo quacunque dignitate aut auctoritate praeterquam apostolica praefulgeat audeat revocare. Item quia pluralitas cartarum audientibus fastidium et quandoque confusionem intellectus solet generare, auctoritate nostrae visi-

tationis concedimus, ut lectionem cartae per Reverendissimum in Christo patrem dominum Johannem nunc episcopum Ecclesiae Frisingensis tunc vero eiusdem ecclesiae Vicarium in spiritualibus generalem traditae praelatus et conventus huius monasterii possint omittere; quae tamen non destruat licet si singulis annis semel legeretur non esset onerosum.

In praemissorum omnium evidens testimonium praesentem nostrae visitationis cartam Nos fratres Martinus et Laurentius abbates praenominati cum fratris Johannis praedicti cooperitoris nostri assensu proprium sigillum non habentis nostrorum sigillorum appensione munire curavimus.

Datum in praedicto Monasterio Beatae Mariae semper Virginis in Scheirn. Vicesima die Martii. Anno domini Millesimo quadingentesimo quinquagesimo secundo.

Christian Urhan, ein sonderausgeprägter Kunstfürst und Heilskämpfer.

Von Dr. A. Förster.

(Fortsetzung zu H. II. 1905, S. 305—315.)

Nach Drucklegung des 5. Artikels, 1905, Heft 2, S. 305—315, erhielt ich von Frau Dr. Wolff (Aachen) einen neuaufgefundenen Brief Urhans, der im 5. Artikel seinen Platz gehabt hätte. Wegen seines in mehrfacher Hinsicht bedeutsamen Inhalts sei er hier gleich nachgetragen. Um die angefangene Numerierung nicht zu stören, also dem darauf folgenden 39., nun eigentlich 40. Brief seine Nummer zu lassen, bezeichne ich das neue Schriftstück aus dem Jahre 1813 als

Brief 31a.¹⁾

Monsieur paul Urhahn

à Montjoie
dept de la roër
près aix la chapelle.

vielgeliebte eltern! aus ihrem wehrten brief habe ich mit vielem schmerz ersehen, dass die kleine christiana schon dem Herrn entschlafen ist, aber unsern liebeichen Erlöser Christus, der gütige Tröster in allem, tröstet uns auch hier, denn als man ihm kleine kinder brachte, dass er sie anrührte, die Jünger es aber verwehren wollten, so verwies Jesus es ihnen mit unwillen, und sagte: lasset die kinder zu mir kommen, und wehret es

¹⁾ Im Datum des 39. Briefes muß 8ber statt 8ten gelesen werden.